

*Ecclesiam ab hæresi baptizamus . IV. In Concilio Nicæno generali primo can. 8. statuitur : Cataros , idest Mundos , si qui venissent ad Ecclesiam , iterum ordinari . Innocentius I. Leo Magnus , Pelagius Papa , alique Pontifices decreverunt , iterandas ordinationes ab Hæreticis vel Schismaticis factas . V. Si iterandum non est Baptisma ab Hæreticis collatum , conclamata est salus Cypriani , Firmiliani , Dionysii , Alexandrini , & aliorum . VI. Tandem Apostoli nonne iterum baptizaverunt illos , quos baptizaverat Joannes Baptista ? ergo aut Hæretici & Infideles meliores sunt eodem Joanne , aut Sacramenta ab ipsis collata sunt iteranda . Atque hæc sunt præcipua Donatistarum argumenta , quibus refellendis nunc operam navare oportet . Ad primum itaque respondemus , Canones Apostolicos Apostolorum non esse , nec ab aliqua particulari Synodo conditos fuisse ; nullius igitur auctoritatis sunt ; quod si propter antiquitatem alicujus auctoritatis esse in Ecclesia volumus laudatos canones : tamen Catholicam doctrinam non convellere patet : primo , quia sensus *can. 45.* est , non licere Sacramenta ab Hæreticis recipere , non vero ab eis confecta irrita esse , & invalida . Constat secundo , quia sensus *can. 46.* est , baptizandum esse eum , qui ab impiis pollutus est : quæ verba canonis intelligi possunt de nullitate Baptismi collati , non servata Evangelii forma . Ad II. Non de Sacramento Baptismi loquitur *Hieronymus* , sed de ejus effectu . Baptisma etenim ab Hæreticis collatum , propter hæresim , vel Schisma , aut conjunctionem cum Hæreticis , vel Schismaticis , Hæreticos non justificat . Ad III. Putida calumnia est , *canonem Trullanum* baptizatos ab Hæreticis docere , rebaptizandos esse ; nam verus *Canon Trullanus* Baptismum ab Hæreticis in forma valida collatum admittit , repudiat vero Baptismum ab ipsis non datum in valida forma , quam præscribit Evangelium . Ad IV. Impositio manuum , de qua loquitur *Concilium Nicænum* teste *S. Hieronymo in Dial. contra Luciferianos* , consecratoria non erat , sed tantum reconciliatoria , qua Clerici a Novatianis ordinati , ab excommunicationis , suspensionis , & irregularitatis vinculo absoluti , ad ecclesiastica munia obeun-*